

Vol. VI

A. D. O. M.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
JURE GENTIUM  
CIRCA  
PESTEM,

---

QUAM

CONSENSU AMPL. FACULT. PHILOSOPH. IN REG.  
AD AURAM ATHENÆO,  
SUB PRÆSIDIO  
MAG. JOHANNIS BILMARK,  
HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD.

*Publice ventilandam sistit*

ERICUS HAMBERG,

Angermannus.

In AUDIT. MAJORI Die VII. Junii An. MDCCLXXXI.

H. A. M. C.

---

A B O Æ

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL,



P R Æ F A T I O.

**A**bsoluta ferme hac dissertatione de *Jure Gentium circa pestem*, quam conspectui Benevoli Lectoris nunc submittimus, incidimus forte in disputationem, Gryphiswaldiæ anno 1709 sub Præsidio JOHANNIS SCHACKII, Juris ibidem Professoris, a T. B. *Wothlenio* editam de *Jure circa pestem*, cujus quidem opusculi lectioni tanto avidius nos accinximus, quum exinde statuere liceret, an ingenioli nostri sætum in lucem prodire publicam pateremur, an vero eundem, ne actum ageremus, in ipso quasi partu suppresseremus. Perlustrata autem dissertatione hac *Gryphica*, animadvertimus, eandem quidem rubro esse nostræ non valde dissimilem, tractatione autem penitus diversam; siquidem & ipsæ positiones & modus has probandi a nostris plane discrepent. Dabimus, ut fidem dictis faciamus, utriusque rei unum alterumque spicilegium. Observat igitur memoratus Auctor, quod *tempore pestis Medici esse non debeant Thes. I. Circumforanei, Thes. II. Feminae, Thes. III. Clerici, Thes. IV. Judæi inter Christianos. Thes. VI. Quod medi-*

*medici non peccent contra Legem Divinam, si tempore pestis die Sabbathi medeantur. Thes. VIII. Quod pro hac sua opera possint honorarium accipere. Ut probationis methodus sistatur, juvat Thesin II. adferre integram: In peste femina non debet esse medica. Ratio 1:o propter pudorem sexus, 2:o ob judicii imbecillitatem l. 2. ff. de R. I. 3:o Quia natura viris firmius judicium, quam feminis concessit; quibus magis congruit, colum & lanam tractare. Quum itaque hujusmodi farinae sint pleraeque tam positiones, quam probationes, in dicta dissertatione occurrentes; satis apparet, quod ex hoc fonte nostra non irrigaverimus arva.*

§. I.

Sicut non minus ratio, quam aevi omnis experientia satis comprobant, quod multitudo civium industriorum ac bene moratorum praecipuam felicitatis publicae partem constituat; ita vicissim gravissima, quam civitas facere potest, jaectura in decremento talium incolarum consistit. Hoc quidem ex variis oriri potest infortuniis; inter plura tamen, quae genus humanum adfligere solent mala, truculentissimum illud habetur, quod *pestem* nuncupamus. Ex qua demumcunque causa, quam indagandam sagacique Aesculapii filiis relinquimus, suam illa ducat originem; certum tamen est, quod per illam alicubi

grassantem, plura hominum millia brevi admodum tempore in Libitinæ rationes veniant. Ipse enim aër, quo circumfundimur & sine cujus usura cum nostra actum est vita, venenatis quasi particulis est infectus, quæ haustæ compagem plerorumque corporum subito destruunt. Nullam sexus, nullam ætatis aut roboris rationem habent pestiferæ Parcæ, nec rigiditate climatum sese cohiberi semper patiuntur, sed ad interneccionem usque grassari solent. Quas vel feroces hostes, vel etjam elementa, dum subinde debacchantur, edunt strages, licet sint gravissimæ, reparari tamen sensim ab illis possunt, qui easdem sunt perpeffi, orbitatem vero, a peste inductam, sentiunt secula etjam insequentia. Regiones, quæ modo fuerant cultissimæ, deficientibus per sævitiam pestis incolis, in vastissimas convertuntur solitudines, evaduntque auctarum ferarum domicilia, atque urbes, civibus abundantes, tot cadaverum strues præbent, quot humo tegendis vix sufficiunt illi, qui ex tanta calamitate in vivis fuerunt superstites; totumque ad eo imperii corpus evadit prorsus languidum.

§. II.

Gravitatem ingentis hujus mali adauget summa difficultas, ab eodem, si quando surere incipiat, sese cavendi. Nam si levi admodum momento humana pleraque consent, id quod satis superque experi-

mur,

mur, levissima, & quæ humanam sæpius eludit circumspeditionem, ratione pestifera contagio solet propagari. Memoriam enim producit Eruditi, qui australis orbis regiones, peste sæpius laborantes, peragraverunt, quod alter, inscius plane contagionis illius, quam in suo gerit sinu, eandem cum altero per solum halitum, quamvis e longinquo ille cum hoc fuerit collocatus, communicare ingratis possit, præsertim si ventus secundus verba infecti ad sanum deferat. Præterea particulæ pestiferæ quibusdam rebus, veluti cannabi, lino, lanæ, pannis, pellibus animalium, lupulo, farinæ &c. intime adeo adhærent, ut nisi eadem probe persententur, possint in regiones maxime distitas delatæ post longum etiam temporis spatium exitiosam suam vim exserere. Ex quibus omnibus concludere licet, quod pestis sit multo nocentior, quam cetera generis humani flagella, quorum nonnulla prævideri, alia autem prius declinari possunt, quam gravissime sævire inceperint, singula etiam, si hostes & quosdam terræ motus excipiamus, non totalem aliquam adferunt perniciem.

§. III.

Principi cuilibet incumbit, mala quævis, civibus suis imminentia, quantum quidem suæ ferant vires, tempestive avertere. Dum enim homines, status Naturalis miseria pressi, civitates constituerunt, atque

Principis imperio sese submiserunt, fidem suam & obedientiam hac conditione Imperanti obstrinxisse censentur, ut ipse, in altissimo honoris gradu constitutus, e longinquo quasi specularetur & arriperet omnes occasiones, quibus civium suorum felicitatem partim confirmare, partim promovere posset. Enimvero sicut felicitatis civilis varii constituuntur gradus; ita ille omnium primus habetur, ut cives a quibusvis malis, quantum fieri potest, præstentur securi; quare etiam Princeps invigilabit, ut malis minitanti- bus firma tempestive opponat repagula, atque ipsis eorum principiis obstet. Si enim civis, per urgentem necessitatis casum extra tutelam Magistratus projectus, imminens periculum quavis etiam violenta ratione licite depellere possit, quanto magis Princeps, dum calamitas extrinsecus imminet, averruncum sese præstabit, quum tali modo non unum alterumve civem, sed magnam civitatis suæ partem a præsentī tueatur interitu. Quocirca tamen notandum erit, quod cum illi, quorum culpa malum civitati imminet, sint vel destinato consilio malefici, vel aliæ personæ miserabiles, remedia, utrisque continendis opponenda, erunt disparia, adeo ut hæc mitius, quam illi tractentur.

§. IV.

De indole Juris Gentium multa quidem multi disputarunt Eruditi, plerique tamen in eo jam conveni-

vēniunt, quod Jus Gentium a Jure Naturali non fit essentialiter diversum, sed sicut hoc singulos concernat homines, ita illud eosdem consideret, quatenus sunt membra hujus vel illius Nationis. Unde porro consequitur, licet populis imperio civili adstrictis alia aliaque incumbant officia, quam quibus in statu tenebantur naturali, nullam tamen in generalibus Legis Naturalis præceptis dispensationem esse factam, neque adeo vinculum illud amoris, quo totum contineri genus humanum voluerit Summus rerum Dominus, facta status mutatione, fuisse disruptum. Id quod eo usque valet, ut gentes etiam, bellum inter se gerentes, plura humanitatis officia, extra acerrimum, qui in præliis obtinet, conflictum, sibi invicem præstare teneantur. Quare præceptum Juris Naturalis habetur: una Natio alterius Nationis perfectionem, quantum sine manifesto suo fieri potest periculo aut damno, habita temporis tam præsentis, quam infecuturi, ratione promovere debet. Quocirca tamen notandum, quod cujuslibet Nationis sit statuere, quando & quomodo alteri Nationi hujusque civibus beneficas porrigere velit manus, nec mutuuum adjutorium inter gentes sit vel tantæ necessitatis vel adeo frequentis usus, ac inter singulos homines.

§. V.

Sicut Principis prudentiæ non convenit, advenas qualescunque & ignorata desideratæ admissionis  
nis

nis'caussa, in suum recipere territorium; ita hæc E-  
 jus circumspectio tempore præcipue pestis, alicubi  
 locorum grassantis, intendi debet. Ex tenore Juris  
 Gentium altera quidem Natio tenetur alterius felici-  
 tatem promovere; quod tamen præceptum non est  
 absolutum, sed illa limitatum conditione, ne nostra  
 nobis sit noxia benevolentia atque humanitas. Qua-  
 re cum Principis sit statuere, quænam humanitatis  
 officia advenis sint præstanda, ipse quoque decernet,  
 an & qua conditione his, accessum in suum territori-  
 um desiderantibus, erit annuendum. Minus an-  
 xia est hæc disquisitio, si nihil mali ab ipsis immine-  
 neat; at tempore pestis grassantis incertum est, annon  
 illi, quicquid prætendant, ex regionibus, contagiosa  
 lue laborantibus, adveniant, vel commercia cum ho-  
 minibus, qui istas inviserint, habuerint; quare nimia  
 censerì non debet Principis circumspectio in malis  
 præcavendis, quæ ipsa civitatis suæ vitalia consume-  
 re possunt, siquidem minimus neglectus maximam  
 nonnunquam adferat calamitatem. Et quum iniquum  
 non sit, depellere piratas, mare infestum reddentes,  
 quanto magis cordato convenit Principi, advenas ob-  
 luem suspectos non admittere, quum damna, quæ illi  
 inferre possunt, late adeo non pateant, quam pestis  
 miseriæ, cujus non contagione tantum, sed nimio etjam  
 metu multi fata sua accelerarunt. Hinc nostro ævo  
 sollemne est, ut Principes in illis imperiorum suorum  
 limitibus, ex quorum parte grassans pestis introitum  
 mini-



minitatur, milites & excubias disponant, qui adve-  
 nas, imprimis peregre profectos, ab introitu tamdiu  
 repellunt, donec certo sit exploratum, quid a talibus  
 vel sperandum sit, vel metuendum.

§. VI.

Si tales forte incidant casus, ut, salvis, quæ ex  
 humanitate debentur, officiis, advenis accessus tem-  
 pore pestis grassantis non possit denegari; cura tamen  
 salutis publicæ a Principe postulat, ut, donec valetu-  
 dinis ipsorum ratio probe fuerit explorata, severio-  
 ribus, quam incolæ, adstringantur vivendi regulis.  
 Ostendimus enim, pestem inter gravissima esse mala,  
 quæ genus adfligere solent humanum, attamen tanta  
 ejusdem non est rabies, quin quodammodo ipsa pos-  
 sit contineri, si idonea remedia ipsi tempesterve oppo-  
 nanrur. Ponamus igitur quosdam ex suspectis locis  
 venientes, accessum in Principis cujusdam territorium  
 moliri; quum nondum constet, an illi vel quas ad-  
 vehunt merces luem adferant vel non, in ancipiti hoc  
 rerum statu iniquum censetur, illos protinus repelle-  
 re, qui forte sola aliorum opinione sunt miserabiles.  
 Sed demus adhuc non vanam esse suspicionem pesti-  
 feræ luis inter advenas istos, non tamen propterea  
 extra humanitatis sphæram sunt projiciendi, sed in  
 certum admissi locum, corona militum, alios aditu  
 ad eos prohibentium, e longinquo cingendi, & rigidis

B

adeo

adeo vivendi regulis sunt adstringendi, ut & illi solamen mali inveniant, & ceteri cives nullam infertiant noxam. Sicut homines isti miserabiles suum adventum e longinquo indicare, accolae a suo confortio debortari, nec alias, praeter aedes sibi destinatas intrare debent; ita vicissim fas est, ne hi ex illorum infelicitate fortunæ suæ compendia astute quaerant.

§. VII.

Ulterius adserere non dubitamus, saluti civium fanorum facilius consulere possit Principem, si tempore pestis homines accessum petentes, observatis tamen, quas prudentia ipsi dicitat, cautelis, in certa territorii sui loca admittat, quam si eosdem protinus repellat. In hoc enim casu miserabiles isti, in desperationem conversi, accessum ad littora, ipsis primum obvia, forte tentabunt, & contagione inficient accolae, quos vel amplis promissionibus, vel propositis corrumpere potuerunt muneribus. Vel si hoc praecaveri possit, forte tamen continget, ut merces quaedam, naufragio facta; in tabulis ad proxima enatent littora, atque ab avidis colligantur accolis; qui dum suas ita clanculum adaugent opes, lue adhaerente corripuntur, quæ opinione citius inter ceteros gliscit cives; atque ita Nemesis spretam graviter ulciscitur humanitatem.

§. VIII.

## §. VIII.

Cum commercia nostro ævo in commodum generis humani longe lateque sint promota, ne ex hoc bono gravissimum existeret malum, cautum fuit, quantum quidem humana permittit prudentia, ne una cum exoticis mercibus pestifera inveheretur lues. Eum in finem constituta sunt ædificia publica in ple- rarumque civitatum, commerciis inclytarum, portu- bus, in quibus per longius breviusve tempus stativa habere coguntur singuli, qui ex regionibus, pestifera lue infamibus, adveniunt; quæ commoratio, valetu- dinis explorandæ caussa instituta, quum per quadra- ginta dies communiter duret, *Quarantena* vulgo dici solet. Sicut Veneti inter Europæas Nationes proximi sunt pestis incendiis; ita hominibus, qui vel ex Græcia vel ex Asia vel ex Ægypto, ubi pestifera lues inde ab antiquissimis retro temporibus immaniter grassata fuit, adveniunt, accessum in suum territorium non prius concedunt, quam indictam observarunt quarante- nam. Interea vero dum hi peregrinatores ab alio- rum hominum consortio sunt exclusi, remediis sibi præscriptis, lavacris item & fumo variarum herba- rum, quibus rabies pestis tolli solet, utuntur; ean- demque sublatam haud immerito præsumunt, si intra præ- fixum temporis spatium nulla sævitiae suæ signa prodi- derit. Merces etiam exponuntur, ut probe perslen- tur, & hoc aliisque modis a noxiis, quæ ipsis forte

adhærere possunt particulis, mudentur. Quale quidem innoxium pestis præcavendæ institutum sicut Jus Gentium adprobat, ita quotquot hæc miserabilium hominum asyla, intuitu commorationis incommodæ declinare annituntur, habentur tanquam generis humani professi hostes, & proinde merito repelluntur ubicunque naves adpellere tentaverint.

§. XI.

Quæri insuper in hoc potest argumento: Quem & quantum rigorem erga homines, qui pestifera lues infecti creduntur, decernere Princeps possit, ita tamen, ut non censeatur præcepta Juris Gentium migrasse. Verum quidem est, quod ex hominibus modo memoratis majus civitati nonnunquam immineat periculum, quam ex feroci hoste, siquidem ex minima pestilentiae scintilla, imprudenter sparsa, existere possint latissima morborum internecinorum, qui strages exsuperant bellicas, incendia; attamen quum supponi vix possit, quod miserabiles hi homines haustum venenum ex destinato consilio propagare velint, siquidem calamitatem, qua adfliguntur, ita non immiuerent, sed majorem redderent; fas est, ut tales non eodem loco, quo hostes, quorum singula conamina in adversariorum diriguntur perniciem, habeantur: quamobrem sicut hi odio, ita illi commiseratione aliorum sunt digni. Porro sicut pestifera lues possit  
per

per aliorum confortia opinione citius extendi, haud inquam est, ut quaelibet cum infelicibus istis populis aut civibus commercia sint aliquamdiu interdicta. Et si peste infecti ad sanas accedant regiones, nimius cenferi non debet rigor, si colloquia etiam e longinquo instituta severissime prohibeantur; siquidem plures superfint modi, quibus desideria sua accolis sine horum periculo communicare possunt. Si vero nihilominus contingeret, ut admissi advenæ unam alteramve libertatis speciem ultra præscriptas quarantænæ regulas sibi clanculum permiserint, possunt omnino, præsertim in ipso deprehensi factò, protinus globis trajici, & accolæ, qui faciles nimis sese advenis præbuerunt, eisdem ad minimum vivendi regulis, ac hi, adstringentur. Exactior enim disciplina, quam quæ tempore pestis grassantis requiritur, vix ulla cogitari potest alia. Tandem si merces advectæ ex earum fuerint numero, quibus pestifera lues tenaciter solet adhærere, nihil omnino impedit, quin possessores cogi queant, easdem comburere; qui jacturam istam æquo ferent animo, si modo vitam, qua nihil habemus carius, ex ea, qua premuntur, calamitate servare possint incolumem.

### §. X.

Immortales certe DEO immortali nos debemus gratias, quibus plagam hanc mundi septemtrionalem

lem inhabitandam concessit, quod in patria nostra, ipsis licet Trionibus subiecta, eam cæli serenitatem, eamque soli salubritatem experiamur, quam utramque in omnis generis deliciarum adfluentia communiter illi desiderant, qui regiones incolunt alio quasi sole calentes. Docet enim experientia satis longæva, quod pestis boreales populos adeo raro adflixerit, ut, cum annua plerumque sit isthæc calamitas in regionibus ad austrum vergentibus, nos superiorum seculorum annales perlustrantes, tria tantummodo præcipua exempla pestiferæ luis, in Scandinavia grassantis, invenerimus. Primam memorabilem stragem an. 1280 sedente ad gubernacula imperii Svethici Rege MAGNO LADULÂS ediderunt Parcæ pestiferæ, quæ a provinciis Bosporo Cimmerico finitimis, vastatis in transitu orientalibus Europæ regionibus, in patriam nostram penetrarunt; sed ex singulari DEI beneficio diuturnam heic non exseruerunt rabiem. Gravis quidem hæc fuit lues, sed multo adhuc nocentior, qui post septem dehinc lustra patriam nostram exhaustit, *Sudor* sic dictus *Anglicus*, quippe qui tertiam incolarum partem absumsisse perhibetur. Elapsis nondum ab ingenti hac calamitate septem aliis lustris rursus patriam invasit vehemens pestis, *Diger-Döden* communiter nuncupata, quæ victimas humanas vix pauciores, quam paullo ante sudor ille Anglicus Libitinæ paravit. Et quum isthæc malorum ilias suam debuerit originem peregrinis navibus ad Sve-

Svethica littora adpellentibus, nemo non videt, quanta requiratur circumsp̄ctio, ne vectores ingrati adeo mercem loco mercedis pro grato reddant hospitio. Veneremur igitur vigilem Patris Patriæ Optimi, Regisque nostri Augustissimi curam, quam sicut quotidie, ita præcipue circa hujus anni initium declaravit. Simulac enim cognovit, navem Hollandicam, *La Galère* dictam, ex urbe Thessalonica, quæ ob grassantem ibi pestem male audiebat, solventem, & ea propter in portum Ostendensem non admissam, alibi stationem sibi quærere, nihil omnino intermisit, quod ad periculum pestis, quam secum vehere hæc ferebatur navis, tempestive avertendum pertineret. Quocirca silentio non erit prætereundum, quod hic Titus Noster præcipuam quidem salutis civium suorum agat curam, nec tamen obliviscatur humanitatis officia, quæ hominibus miserabilibus, ad sua forte littora projectis, præstari possent; id quod luculenter evincunt litteræ Regiæ tam ad illustrissimum Collegium, quod Commerciis regni moderatur, quam ad Provinciarum Gubernatores datæ. Quod si durum forte cuidam prima fronte in Edictis hisce Regiis obveniat, quod cives jubeantur homines navi ista vectos, si aditum alicubi sibi parare molirentur, protinus repellere; sciendum est, quod præceptum hoc Juri Gentium nequaquam repugnet, ex cujus tenore in tantum solummodo civium alterius nationis commoda promovebimus, in quantum sine nostro dispendio aut exitio fieri possit.

Cum

Cum itaque vectores illi non ignorarent ea loca, in quibus tamdiu commorari deberent, donec suspicionem pestis a se fuissent amoliti, hæc temere negligentes, indignos sese reddiderunt, qui aliorum fruerentur in suis angustiis auxilio. Præterea quum cives ubique locorum satis instructi esse non possent, quomodo in tali rerum crisi sese gererent, haud iniquum censendum, si protinus advenas repellerent, ut eos fugando præsentissimum ipsi effugerent vitæ periculum; præsertim quum nondum ita ad incitas essent redacti, ut navem suam in salo amplius dirigere non possent: in casu enim gravissimæ necessitatis, qualis heic aderat, quælibet ratio se suaque conservandi censetur honesta.

S. D. G.

